

ORATIO PARÆNETICA,
DAVIDIS HILCHEN, SE-
CRETARII REGII, ET RI-
GEN: SYNDICI:

Ad

*SPECTABILEM SENA-
TVM RIGENSEM.*



Vàm grave & acerbum Reipublicæ nô-
stræ vulnus inflixerit, mors trium clarif-
simorum virorum, eodem ferè tempore
ingruens, eosq; ex mutuo convictu nostro nobis
adimens, non est quod pluribus commemorem,
Senatores amplissimi, quandoquidem & com-
muni nobiscum dolore lugetis: & quantis hæc
Civitas orbata sit commodis, intempestivo eo-
rum fato, rectâ judicii vestri censurâ expenditis.

Mortuus est nimirum Ecclesiæ nostræ Pastor,
Gregorius Plinius, vir doctrinâ ac pietate singula-
ri præditus. Successit huic Otto à Meppen, Con-
sul Urbis hujus vigilantissimus, qui singulari con-
silio, ac multorum annorum experienciâ com-
munem hanc patriam administravit, durisq; &
asperis rebus, magnâ dexteritate ingenii, multo-

ORATIO PARÆNETICA,

ties sublevavit, eximiæq; in eam fidei ac pietatis specimen, subinde exhibuit.

Nec verò vis fatorum invida pepercit viro summæ doctrinæ & acerrimi iudicii, Ioanni Rivio, quem die 8. Maji præsentis anni mortuum, Schola nostra deplorat, & quasi navis rectore destituta, in fluctuante Pelago, variis procellis exposita, magnum naufragii periculum extimescit.

Nam cum in juventute feliciter instituendâ magnum columen Rebuspublicis sit constitutum, & hæc sint semina, à quibus omnis doctrinæ, virtutis, prudentiæ ac pietatis uberrimi solent provenire fructus, quis non magnam Reipublicæ imminere inde cladem persentiscat, si tantis omnibus præsidiis destituta relinquatur, nullaq; cura in formandis & excolendis juvenum ingeniis, in tam salutaribus percipiendis artibus adhibeatur?

Quanta autem tam necessariarum rerum, in uno Rivio Scholæ nostræ Inspectore amiserimus adjumenta, quæ fuerint ingenii ejus dotes, quàm eximia illius doctrina ac linguarum cognitio: quæq; in populo etjam ad omnem pietatem insti-

AD SENATVM RIGENSEM.

instituendo, sedulitas & diligentia, paucis commemorare libet.

Et quia plurimum refert, quibus quisq; prognatus sit parentibus, undè occultâ vi naturæ impressa, virtutum ingeniiq; cernere liceat in liberis vestigia; habuit hic parentem doctissimum itidem virum Ioannem Rivium, cujus quanta fuerit eruditio ingeniiq; præstantia, id testantur doctissimæ ejus lucubrationes, publicataq; ab eo insignia doctrinæ monumenta.

Itaq; traditus hic fuit Præceptor illustrissimo illi Saxonix Principi Electori Augusto, dignus habitus, qui ad præclaras quasq; res gerendas juvenilem ætatem Principis informaret, artibusq; omnibus liberalibus ingenium ejus excoleret.

Sub hoc verò parente Rivius noster institutus, ac in reliquis celebrioribus artium studiis egregiè excultus, tantum in politiori omni literaturâ profecit, ut patrem & ingenio & doctrinâ referens, istam eruditionis laudem acquisiverit, quâ se suspiciendum doctis omnibus præbuit, ac toti posteritati commendabilem procul dubio reddidit.

ORATIO PARÆNETICA,

In Lipsensi quidem Academiâ, publicus artium Professor, magnum eruditionis nomen sibi peperit, auditorumq; iudicio comprobatus, in magnâ admiratione vixit.

Nec verò hoc fieri potest, ut quis omnibus satisfaciat, aut qui etiam hoc assecutus videatur, nullis invidiæ telis petatur. Est ejus bestię perpetua in bonos & maximè innocentes immanitas: Sed eadem è se natos, & de se nominatos gravissimè ulciscitur, pœnas sine misericordia sumens de invidis, atq; eos, si non in calamitates alias demergit, intimis præcordiis excruciat, quæ maxima est calamitas.

Premere innocentiam invidia, opprimere non potest. Fortis in ea re fuit Rivius: quòd eam non metuit: sapiens, quòd ei, quam ratione emendare non potuit, celsit. Similes ipse quoq; tempestates fregi, ex quo aliquid in vita videre cœpi.

Cùm autem eximius & eruditus ille vir, Simon Simonius Lucensis, in eadem Academia Philosophiam profiteretur, ac pòst Serenissimi Regis Stephani Medicus, ab Illust: & Magnifico

AD SENATVM RIGENSEM.

fico viro Ioanne Hlebovicio Palatino Troceñ :
rogatus esset, ut insignem aliquem doctrinâ vi-
rum ex Germaniâ evocaret, cuius ille operâ in fi-
liis instituendis uti posset, hunc quidem Rivium
ita ille Simonius commendat, ut tandem in Li-
thvaniam ab eo accitus, doctrinam suam vehe-
menter ille approbaret, charumq; se illi & suspi-
ciendum exhiberet.

Sed dum Illustrissimus ille Princeps Dux Cur-
landiæ & Semigalliæ Gothardus, Præceptorem fi-
liis quærit, evocat ex Lithvania (tanta enim vir-
tus, tanta doctrina latere ibi diutius non potuit,
neq; debuit) in Livoniam, Rivium, eiq; Il-
lustrissimos Fridericum ac Guilhelmum, filios
docendos committit, & quamdiu ætas eorum
passa est, curæ illorum præfuit. Ac dum no-
vem ferè annos in aulâ Principis degit, in con-
cionibus quoq; sacris habendis, fidelem ope-
ram adhibet, tantumq; doctrinæ ac pietatis gu-
stum auditoribus percipiendum offert, ut Illu-
strissima Ducissa vidua, ipsas conciones descri-
bendas curaret, dignasq; , quæ legerentur ab
omnibus, iudicaret.

At

ORATIO PARÆNETICA.

At verò cùm præfatus Dux Gothardus fato concederet, Rivius tandem Rigam evocatus, Scholæ communi hujus Civitatis velut Inspector præficitur, & eximius ingeniorum moderator, instituendis civium liberis traditur.

Ad ejus famam multi advolabant: atq; ipse etiam magnificus Dominus Farensbachius, Præses Vendenfis, &c. suos illi commisit liberos.

Hic nihil attinet dicere, quâ curâ & auctoritate juventutem erudiret: & quo ordine, & quâ methodo discendas artes proponeret: quas ille leges Scholæ restaurandæ, & nitore suo restituendæ conscriberet: quantoq; conatu & studio rem literariam promoveret, nihilq; intentatum relinqueret, ut ad summum eruditionis ac pietatis apicem, studiosam juventutem eveheret. Ea namq; omnia in examinibus publicis, cumulatè probavit, & lucubrationibus suis.

Nullum illi tempus periit sine literis: aut sine sermone de literis habito.

Omnes ejus vires, etsi labefactatæ erant: tamen quoties sese nonnihil collegit, ad docendum rediit, & scholasticis negotiis præstò fuit, & vidit
sedulo,

AD SENATVM RIGENSEM.

sedulo, ne quid omnium in iis negligetur. Et sane tam egregii operis perficiendi, non levem spem nobis præbuit, dum à tam exquisitâ doctrinâ, non nisi uberes & maturi exspectandi essent fructus.

Legimus enim Locos communes Philosophicos ab eo in lucem editos: legimus orationes quamplurimas, & summo acumine ingenii, eloquentiâq; laude, & sermonis Latini puritate resperfas, ac cum veterum laude perbellè certantes. Nihil dico de Poësi, quam feliciter sic quoq; tractavit, ac in scribendis eleganter carminibus, multos etjam excellentes superavit.

Græcæ quoq; linguæ exactam cognitionem ille habuit: & quicquid in Iure reconditum esset, id omne cognitum ac perspectum sibi fuisse, omnibus argumentis commonstravit.

Magnus certè vir & summus potiùs Ioannes Rivius fuit: cujus nomen, virtutem, vitæ sanctimoniam, multiplicem doctrinam, & officium quis ignorat, qui Latinas Græcasq; literas saltem leviter attigerit?

His viribus corporis animiq; fuit, quas nullâ re corrumpit, sed laboribus omniq; ratione confirmavit.

B

Hæc

ORATIO PARÆNETICA.

Hæc verò tanta commoda omnia, una mors clarissimi viri nobis ademit, & quam ex fertili juventuris agro sperabamus nos percepturos messem, hanc spem propinquam extenuari ac evanescere nobis, perſentimus: ac nisi maturè provideamus, grandem aliquam calamitatem fundo scholastico suborituram extimescimus.

Veruntamen ea res me recreat, & non leviter consolatur, Senatores amplissimi, quòd quo studio & promptitudine in eam curam antè incubuistis, ut tam insignem virum in Scholam vestram adducendum putaretis, nec nunc remissiores vos futuros spero, ut de successore novo evocando cogitationem suscipiatis, nec diu ignavo torpore juventutem tabescere vestram sinatis.

Mihi quidem muneris à vobis impositi functionis, huicq; prudentissimo & nobili viro Domino Nicolao Ekio Burgrabio, hanc necessitatem imponit, ut quamvis alacres vos conspiciamus, tamen cohortandos nobis existimemus, ne in incepto cursu labascatis, & quæ semel egregii operis jecistis fundamenta, his extremam imponere manum studeatis.

Nam

Nam quia curæ nostræ administratio Scholæ à vobis commissâ est, minimè tacendum nobis diutiùs putamus : & quamvis currentibus, calcar tamen addere statuimus.

Amisimus quidem Rivium, sed tam ferax doctissimorum virorum hoc seculo nostro est Germania, ne reliquas nationes commemorè, ut non magno labore investigandum nobis censeamus, quem in locum Rivii surrogemus, & jacturam Scholæ, altero succedente perindè docto, refarciamus : ne pigeat modò vos sumptus impendere, & quæ præmia Rivius retulit, hæc & quæ promeretur eximia doctrina, venientibus ad nos proponere.

Scimus quidem, magnos alios Reipub: usus esse, qui vestram efflagitant liberalitatem, & qui vos minimè sinunt esse liberales : ut in res minùs necessarias, reprehendenda esset meritò vestra profusio. Sed instituendæ juventutis ea est ratio, ut si alia sint omittenda, hæc sola res neglecta, in magnum crimen incurrat, neq; ullam excusationem admittat.

Virtus enim, pietas & prudentia, sunt ex animi ingeniùq; dotes, sine quibus non modò non salva, sed nec ulla potest stare Respublica.

ORATIO PARÆNETICA,

*hab. i. lincet
a. m. l. l. q.*
At verò vehementer errant, qui ad solidam tantarum rerum gloriam, sine ullis artium disciplinis perveniri posse putant. Quanta obsecro dignitas est in legationibus ad exterarum nationes & Principes mittendis? sed quis quæso has unquam dextrè aut splendide expedit, qui ad bonitatem naturæ, oratoriâ facultate non fuerit instructus?

Vtile ac frugiferum in primis est, jus populo dicere, & tranquillam societatem inter cives, tribuendo unicuique suum, conservare. Sed quis legum ac rerum civilium ignarus, hoc officium ritè explere unquam potuit, ut non turpiter claudicaret, & pro jure reddendo, quamplurimos injuriâ afficeret?

Ipsa quoque pietas, in quâ summa omnium civium consistit felicitas & beatitudo, subito in hominum mentibus languescet, ac perverfis opinionibus & scelestis cupiditatibus pectus imbuet, nisi sint eruditi Concionatores, qui doctâ, piâ, ac suavi oratione ab omnibus, illicitis animos hominum avertant, & pectora ad omnem honestatem ac pietatem accendant.

Istam verò artem omnium pulcherrimam, vereque augustam ac divinam, nemo unquam sine

erro-

erroris periculo tractavit, qui non ad exactam sacrarum literarum cognitionem, gravissimas artium disciplinas adjungeret, divinaq; sua voce in pium quemvis affectum, auditores impelleret.

Reputate nunc Senatores, istas omnes præclaras artes, in quibus salus consistit Civium, neq; sine literarum studiis retineri posse, neq; hæc vigere studia, si non doctissimi prudentissimiq; adhibeantur Magistri, qui & cætus discipulorum regant, & in excolendis ingeniis, fidelem operam impendant. Vtrum autem optabilius est, magnâ quadam mercede, è longinquâ aliâ regione eos accersere, qui hæc munera vobis expleant, an verò intra privatos parietes hoc armamentarium, à nobis nuper institutum, conservare, unde tanquam ex equo Trojano, ad quamvis tractandæ Reipub: partem, fortissimos Athletas depromatis, in eorumq; virtute, doctrina ac pietate conquiescatis, amplius cogitate & statuite.

Sed unum est, quod invitis ac reluctans vobis, magnum stimulum meritò admoveere debet, ut in eam curam incumbatis, & de restauranda Schola quamprimum cogitetis: cùm

ORATIO PARÆNETICA.

nimirum in sinu vestro hostes vos fovere persentitis, qui in omnem occasionem intenti sunt, ut liberos vestros ostentatione eximiæ doctrinæ capiant, atq; sic pro salutaribus cibis veneno imbuant, paulatimq; à verâ & sincerâ, agnitaq; religione averfos, adulterinam prolem vestram, parentibusq; dissimilem faciant.

Mirum enim, ac primùm hoc seculo nostro stratagema Sathanæ enatum est, ut quas olim per summam barbariem tenebras in mundum invexerat, nunc exquisita artium & sophistices doctrinâ, lucem veritatis obruere studeat.

Huic verò periculo hâc unâ arte occurretis, ita ab insidiis omnibus scholasticam juventutem tutam efficietis, si eum Inspectorem Scholæ præficietis, qui fide sit castâ, moribus commodis, & eruditione eximiâ.

Quam quidem omnem causam, ut vobis curæ futuram esse non diffido, ita ut authoritate & auxilio vestro tectam esse velitis, vehementer rogamus.

Quod reliquum est, date hoc obsecro manibus defuncti Ioannis Rivii, ut liberos ejus suscipiat.

per.

AD SENATVM RIGENSEM.

perstites, nempe unicum filium ac filiam, in fidem
vestram ac clientelam recipiatis, eoq; munere ac
gratiâ illi parentetis, ut tanti viri, omni posterita-
tis memoriâ dignissimi proles inops, liberalitate
vestrâ sublevata, collocatam parentis sui operam
apud homines gratos & memores, ubiq; præ-
dicet.

Id quod vos fecisse, & amplius, pro summâ
vestrâ pietate & consuetudine facturos, non du-
bito: atq; ut præclaris omnibus factis immorta-
lem nominis vestri laudem consequamini,
eum, qui nunquam frustrâ opem
suam implorari sinit,
supplex rogo.

